



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1678

Chronicon VVirziburgense.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14688

CHRONICON VVIRZIBVRGENSE.

DCLXXXVII. Sanctus Kylianus martyrizatur.

DCLXCIV. VVilibrordus à Sergio Papa Episcopus ordinatus Fresonum gentem convertit.

DCLXCV. Iustinianus Imperator ob hæresim regno privatus exul in Pontum secessit.

DCLXCVI. Sergius Papa capsam cum portione dominicæ crucis invenit.

DCLXCVI. Iohannes Papa Sergio successit. Cui item alius Iohannes successit. Iustinianus Imperator Leonem & Tyberium cum alijs qui eum expulerant occidit. Quem videlicet Iustinianum Leo, in expulsionem illius, naribus detruncarat. Qui post iterum assumpto imperio, quotiens defluentem guttam reumatis manu deterfit, totiens penè aliquem de suis contrarijs jugulare præcepit.

DCCX. Iustinianus Imperator de peccatis suis penitentiam agens, Constantinum Papam cum summo honore habuit.

DCCXI. Iohanni Papæ successit Sisinnius. Cui Constantinus. Hiltibertus Rex justus obiit. Pro quo Dagobertus filius ejus regnavit.

DCCXIV. Pippinus senior Major domus regia obiit. Pro quo Karolus. Dagobertus Rex obiit. Constantino Papæ successit Gregorius secundus.

DCCXV. Karolus à Blitrude noverca sua in custodiam missus, Dei auxilio liberatus est.

DCCXVI. Sanctus Bonifacius, qui & VVinfridus, à Gregorio Papa in Franciam ad prædicandum verbum Dei missus est.

DCCXIX. Sanctus Bonifacius Mogontiacensis civitatis à Gregorio Papa Archiepiscopus ordinatur.

DCCXX. Mortuo Elberico, Theodericus frater ejus in regnum successit.

DCCXXI. Karolus Suevos & Bajuarios armis subegit.

DCCXXII. Luidbrandus Rex Longobardorum, ossa sancti Augustini transtulit in Ticinum.

DCCXXVI. Karolus Pippini filius, cum jam principatum Majoris domus XII. annos teneret, post hæc eundem principatum teneret XV. annis; Regibus tamen in Francia, sed parva dignitate, regnantibus.

DCCXXIX. Karolus Fresiam subegit.

DCCXXX. Beda venerabilis Presbyter Anglorum obiit.

DCCXXXIX. Karolus Provinciam subegit.

DCCXLI. Gregorio tertio successit Zacharias Papa. Karolus Rex obiit.

DCCXLII. Pippinus filius Karoli cum fratre Karolomanno Major domus annos XI.

DCCXLV. Initium Fuldensis monasterij.

DCCCL. Karlomannus divino amore succensus Romanam pergens, monasterium sancti Silvestri in monte Soracti construens, se monachum fecit, & post aliquantum temporis ad monasterium sancti Benedicti profectus est.

DCCCLI. Sanctus Burchardus accepit pontificatum, in quo sedit annos XI.

DCCCLII. Translatio sancti Kyliani.

DCCCLIII. Pippinus per auctoritatem Stephani Papæ Rex Francorum est appellatus, & unctus manu sancti Bonifacij.

DCCCLIV. Sanctus Bonifacius Archiepiscopus martyrio coronatur.

DCCCLXVII. Pippinus Rex moritur.

DCCCLXVIII. Karolus magnus Pippini filius cum fratre Karolomanno annos IV. postea solus XII.

DCCCLXXI. Karlomannus frater Karoli magni obiit.

DCCCLXXXII. Karolus secundo Romam perrexit; ibique baptizatus est filius ejus Karlus, quem Adrianus Papa mutato nomine vocavit Pippinum.

DCCCLXXXIII. Hiltigart Regina obiit. Pro qua Karolus Fastradam sibi sociavit in conjugium.

DCCCLXXXVI. Lul Mogontiacensis Archiepiscopus obiit. Cui Richolfus successit. Sanguis è cælo & de terra profluxit.

DCCXC I. Sanctus Burkardus migravit ad cælum iv. Nonas Februarij.

DCCXCII. Conjuratio Pippini contra Karolum patrem suum. Qui, hoc detecto consilio, tonsoratur. Sociorum verò alij decollantur, alij suspenduntur.

DCCXCIV. Megingaudus Episcopus obiit vi. Kal. Octobr. V Virziburg. Sedit annos tres, menses decem, dies xxv.

Fastrada Regina obiit, & apud sanctum Albanum sepelitur.

DCCXCVIII. Richolfus consecratur in Episcopum iv. Non Martij apud Frideslar.

DCCXCIX. Geroldus pijssimus signifer Karoli in pugna occiditur.

DCCC. Berenvelfus Episcopus obiit vi. Kal. Octobris. Sedit annos vi.

Romani Papam in Letania majore excæcant, & linguam ejus amputant.

DCCCi Karolus à Romanis est Augustus appellatus.

DCCCII. Liudericus Episcopus obiit iii. Kal. Martij V Virziburg. Sedit annos tres, menses v.

Karolus imperiali benedictione sublimatus, Augustus & Cæsar Romano more appellatur.

DCCCIII. Karolus pontem quinquaginta passuum construxit Mogontia. Tanta est enim ibi fluminis latitudo.

DCCCv. Hoc anno dedicatum est monasterium

sancti Albani Kalendis Decembris, Indictione XIII.

DCCCXIII. Richolfus Mogontiacensis Archiepiscopus obiit. Cui Haistolfus successit. Pons apud Mogontiam, quem Karolus construxit per x. annos, combustus est, quia latrones noctu, hominibus in Rhenum projectis, rapiebant prædam.

DCCCXIV. Karolus Imperator febre pleuresi pulsatus obiit v. Kal. Februarij, anno ætatis LXXI. Regnavitque filius ejus Ludevicus cognomento Pius annos XXVII.

DCCCXVI. Leo Papa obiit. Pro quo Stephanus ordinatur. Qui mox Ludevicum imperiali benedictione sublimavit.

DCCCXVII. Pascualis Papa efficitur.

DCCCXXIV. Haistolfus Archiepiscopus obiit. Cui Otgarius successit.

DCCCXXVII. VVetthi Augiensis monachus in spiritu raptus admirabilem vidit visionem.

DCCCXXIX. Pascualis Papa obiit.

DCCCXXXII. VVolfgerus Episcopus VVirzibur. obiit. II. Id. Novembris. Sedit annos XXI. menses VI. dies XI.

DCCCXLI. Ludevicus Imperator obiit XII. Kal. Julij. Regnavitque pro eo filius ejus Ludevicus cum fratribus suis Lothario, Karolo, & Pippino annos XXXVI.

DCCCXLII. Humbertus Episcopus VVirzibur. obiit VI. Idus Martij. Sedit annos X. menses III. dies VIII.

Bellum inter fratres de partitione regni exaruit.

DCCCXLVI. Otgarius Mogontiacensis Archiepiscopus obiit. Cui Rabanus successit.

DCCCXLIX. Ludevicus Germaniam, Lotharius cum Imperatoris nomine Italiam, Karolus Gallias, regnum dividentes, accipiunt.

DCCCLV.

DCCC LV. Gozbalduſ VVirziburc. Epifcopus
obijt xii. Kal. Octobris. Sedit annos xiiii.

Rabanus Mogontiacenſis obijt. Cui Karolus ſuc-
ceſſit.

DCCC LVI. Eccleſia ſancti Kyliani in VVirzi-
burc exuſta eſt.

Lotharius Rex tonſuram & monachicum habitum
fulcepit moriturus.

DCCC LVIII. Leo Papa, Truogo, & Rabanus
Epifcopi, Benedictus Papa, obierunt.

DCCC LXIII. Karolus Mogontiacenſis Epifco-
pus obijt. Luibbertus ſucceſſit.

DCCC LXVIII. Nicolao Papæ Adrianus ſucceſ-
ſit.

Viſa eſt cometa manifeſtè.

DCCC LXXII. Adrianus Papa obijt.

VVormacium fulminis ictu crematur.

DCCC LXXVII. Ludeuicus Rex Germaniæ
obijt v. Kal. Septembris. Pro quo filius ejus Karo-
lus junior cum fratribus Karlomanno & Ludeuico
regnauit annos xi.

DCCC LXXIX. Luibertus Mogontiacenſis obijt.
Cui Sinderoldus ſucceſſit.

DCCC LXXXI. Karolus junior cum uxore ſua
Ribgartha imperiali benedictione ſublimatur.

DCCC LXXXVII. Karolus Imperator vivus di-
miſit regnum.

DCCC LXXXVIII. Arnolfus filius Karlomanni
regnauit annos xii.

DCCC LXXXIX. Karolus junior Imperator obijt.

DCCC XCI. Arn VVirziburc. Epifcopus in Sa-
xonia occiſus eſt inter Miſſarum ſollempnia.

Sunderoldus Moguntiacenſis Epifcopus VVor-
matia à Nortmannis occiſus eſt. Cui Hatto ſucceſ-
ſit.

DCCCXCVI. Arnolfus Rex Romam veniens,
Imperator efficitur.

DCCCC. Arnolfus Imperator obiit. Pro quo filius
ejus Ludeuicus admodum puer regnavit annos xii.

DCCCCVI. Berenger, Reginold, & Gebehart
fratres occiduntur.

DCCCCVII. Pugna inter Adelbertum fratrem
eorum & Cuonradum fratrem Ludeuici Impera-
toris committitur, in qua Cuonradus occiditur.

DCCCCVIII. Ruodolfus VVirzibure. Episco-
pus obiit III. Non. Augusti. Sedit annos xvii. dies

ii. Adelbertus perfidia Hattonis Archiepiscopi Mo-
gontiacensis & cuiusdam Luitpaldi deceptus, Lu-
deuico Imperatore iubente decollatur.

DCCCCXI. Bellum Francorum cum Vngarijs.

DCCCCXII. Ludeuicus Rex moritur. Pro quo
filius Cuonradi illius quem Adelbertus Babenber-
gensis interfecit, in regnum elevatus, regnavit an-
nos vii.

Hatto obiit Mogontiacensis Episcopus. Cui He-
rigerus successit.

DCCCCXIV. Cometa videntur.

DCCCCXVIII. Basilea ab Vngarijs destruitur
xii. Kal. Februarij.

DCCCCXIX. Cuonradus Rex moritur.

Heinricus Comes Rex effectus regnavit annos
xviii.

DCCCCXXVII. Herigerus Mogontiacensis Epif-
copus obiit. Cui Hiltibertus successit.

DCCCCXXVIII. Hungarij totam Franciam, Gal-
liam, Alsatiam, atque Alamanniam gladio & igne
devastant.

DCCCCXXXII. Thiedo VVirzibure. Episcopus
obiit xvii. Kal. Decembris. Sedit annos xxxi. v.
mensis ii. dies xiv.

DCCCCXXXVI. Hiltibertus Mogontiacensis
Episcopus obiit. Cui Fridericus successit.

DCCCXXXVII. Henricus Rex obiit. Ottho magnus Henrici filius annos XXXVIIII.

DCCCXXXVIII. Vngarij Franciam, Alamaniam, Galliam usque oceanum & Burgundiam devastantes, per Italiam redierunt. Monasteria sancti Galli & sancti Bonifacij cremantur.

DCCCXLII. Junior Burchardus VVirziburg. Episcopus obiit VIII. Kal. Aprilis. Sedit annos IX. menses III. dies XXXII.

DCCCCLI. Ottho Rex Italiam petit, eamque sibi subiecit, Berengerum Regem expulit.

DCCCCLII. Berenger apud Augustam in conventu Otthoni ad deditioem venit. Inde cum Regina conjuge ejus VVilla nomine ad castellum Babenberg deductus extremam clausit horam.

Ignitus lapis, quasi massa candentis ferri, ab occidente volitans venit. Et Draco visus est.

DCCCCLIII. Obijt Fridericus Mogontiacensis Archiepiscopus. Pro quo VVillehelmus constituitur, filius Imperatoris Otthonis.

DCCCCLIV. Luidolfus Dux Otthoni Regi patri suo rebellat.

DCCCCLV. Vngarij Noricam, Franciam, Italiamque petunt.

DCCCCLVI. Vngarij totam Bajoariam depopulantes, juxta Augustam Alamannia urbem ab Otthone Rege pugna victi, immensa caede necantur.

Luidolfus Adelbertum bello vicit. Et ipse eodem anno moritur.

DCCCCLX. Cruces in vestibus apparuerunt.

DCCCCLXI. Bobbo VVirzibuc. Episcopus obiit XVI. Kal. Martij. Sedit annos XX. menses X. dies XIV.

DCCCCLXIII. Ottho Rex Romam veniens, Imperator efficitur.

Signum in sole.

DCCCCLXVIII. VVillehelmus Mogontiacen.

sis Episcopus obiit. Cui Hatto successit.

DCCCCXX. Hatto Mogontiacensis Episcopus obiit. Ruobbertus successit.

DCCCCXXII. Signum quoddam ignei coloris in cælo apparuit.

DCCCCXXV. Ottho Imperator obiit Nonis Mai.

Sanctus Vdalricus migravit ad Dominum IV. Nonas Iulij, anno episcopatus sui I.

Ottho II. Otthonis magni filius annos IX.

DCCCCXXVII. Ruobbertus Archiepiscopus Mogontiacensis annos IV. X. menses obiit. Pro quo constituitur V Villigifus, qui in primis cœpit edificare monasterium sancti Martini.

DCCCCXXXIII. Ottho Imperator apud Calabriam occiso à Græcis exercitu de navî exiliens nautando aufugit.

DCCCCXXXIV. Iunior Poppo V Virziburg. Episcopus obiit XI. Kalend. Augusti. Sedit annos XXIII. menses IV. dies XXI.

Ottho Imperator Romæ VI. Idus Decembris moritur & sepelitur.

Ottho tertius, Otthonis secundi filius, admodum puer, annos XVIII.

DCCCCXC. Huc Episcopus V Virziburg. obiit IV. Kal. Septembris. Sedit annos VI. menses VII. dies XXVIII.

DCCCCXCV. Sanctus Adelbertus Episcopus de Praga civitate à Prucis martyrio coronatur.

Brunuwardus V Virziburg. Episcopus obiit XII. Kal. Octobris. Sedit annos V. menses VIII. dies XIX. In insula Euboea, & sepelitur in monasterio quod dicitur Politica.

M I. Ottho Imperator in Italia obiit absque filijs V. Kal. Februarij. Cujus intestina Augustæ, reliquum corpus Aquisgrani sepelitur.

Heinricus Dux Bajoariæ Babenberg. apud Mogontiacum Rex effectus regnavit annos XXIII. menses v.

M. I. V. Heinricus Rex Italiam, Boëmiam, & Bozilzlaum Ducem cum omni gente Sclavorum subjugavit.

M. V. I. I. Episcopium Babenberg à Rege Heinrico constituitur, & Eberhardus ibi Episcopus ordinatur.

M. I. X. Brun Episcopus & monachus à Prucis multis supplicijs affectus, & manibus pedibusque abscisis, postremò capite plexus, cælos petijt.

M. X. I. Hoc anno Babenbergensis Ecclesiæ dedicatio facta est, XLV. I. Episcopis in id operis destinatis.

Obijt V. Villigisus Mogontiacensis Archiepiscopus. Cui Erkenbaldus successit Abbas.

M. X. I. V. Heinricus Romæ imperiali benedictione coronatur à Benedicto Papa.

M. X. V. Ernost Dux in venatu occiditur.

M. X. V. I. I. Heinricus V. Virziburg. Episcopus obijt xviii. Kal. Decembris. Sedit annos XXIII. menses v. dies XXII.

M. X. I. X. Benedictus Papa Babenberg veniens, Ecclesiam sancti Stephani dedicavit.

M. X. X. Terræ motus magnus factus est i. v. Idus Mai, feria vi.

Sanctus Heribertus Coloniensis Archiepiscopus obijt. Pro quo Piligrinus constituitur.

Obijt Erkenbaldus Mogontiacensis Archiepiscopus. Pro quo Aribo constituitur.

M. X. X. I. Heinricus Imperator novam Trojam deditione cepit. Et mortalitas magna facta est in exercitu.

M. X. X. I. V. Heinricus Imperator i. i. Idus Iulij obijt, & in Babenberc episcopio à se facto in monasterio sancti Petri Apostoli sepelitur.

Benedictus Papa obiit.

Cuonradus annos fere xv. regnavit.

MXXVI. Cuonradus filium suum Heinricum Regem fecit. Et ipse Romam pergens, Imperator efficitur.

MXXX. Cuonradus Imperator Stephanum Pannoniae Regem cum exercitu petit. Interea in Alamania Ernost Dux & VVerenheri Comes cum alijs multis occiduntur.

XVI. Kal. Septembris Aribo Mogontiacensis Archiepiscopus obiit. Pro quo sanctus Bardo constituitur.

MXXXI. Stephanus Rex missis legatis cum Imperatore Cuonrado pacificatur.

MXXXII. Ruodolfus Rex Burgundiae moriens, diadema suum Cuonrado Imperatori misit. Monasterium sanctorum Petri & Pauli & sancti Stephani dedicatum est.

MXXXIV. Meginhardus VVirzibure Episcopus obiit XI. Kal. Aprilis. Sedit annos xv. menses vi. dies XXI.

Cuonradus Imperator hieme Purgundiam petit. Eclypsis solis facta est III. Kal. Jul. hora VI.

MXXXV. Piligrinus Coloniensis Episcopus obiit. Pro quo Herimannus constituitur.

MXXXVI. Otho Princeps Karlingorum à Gozelone Duce pugna victus, fugiensque, à quodam milite occiditur.

MXXXVII. Cuonigunt Imperatrix v. Non. Martij obiit.

Herimannus Dux obiit.

Stephanus Christianus Vngariorum Rex obiit, qui cum omni gente sua ad fidem Christi convertitur.

MXXXIX. Cuonradus Imperator II. Non. Junij obiit, & Spira sepelitur.

Eberhardus Babenbergensis Episcopus obiit.

MXL. Henricus Rex pius, filius Cuentadi, incipit regnare.

MXLI. Henricus Rex Ducem Boëmiæ Fratislaum bello petit. Sed multis proceribus & militibus in præstructione silvæ citra & ultra occisis vel captis, nil dignum efficere potuit. Petrus quoque Vngariorum Rex eidem Duci contra Henricum Regem auxilia misit.

MXLII. Vngarij quendam Ovonem Regem sibi eligentes, Petrum Regem suum expellunt. Qui profugus & exul Henrici Regis, cui priori anno rebellaverat, gratiam quærit & invenit.

Henricus Rex Boëmiam ingressus, igne prædæque cuncta devastat, & rebellem Ducem obsides dare & ipsum post se Radisponam ad deditioem humiliter venire sibi que jurejurando fidelitatem servitiumque confirmare coartat.

Ovo Rex Vngariorum, ob susceptum à Henrico Rege Petrum à se expulsam, fines Bajoariæ prædis & incendijs depopulatur. Sed magna pars exercitus ejus ab Adelberone Marchione deleta est.

MXLIII. Henricus Rex Pannoniam ingressus, duas populosissimas civitates evertit, plures deditioem subjecit. Sed cum Petrum Regem, quem secum ducebat, provinciales recipere nollent, alium, quem petebant, Ducem eis constituit, quem Ovo post discessum ejus in Boëmiam repulit.

Gisela Imperatrix, mater Henrici Regis, obiit XVI. Kal. Martij, & apud Spiram sepelitur.

MXLIV. Henricus Rex iterum Pannonias invadens, satisfactionem, obsides, munera pacis per jursurandum confirmationem accipiens discessit. Inde reversus, Constantiensi synodo affuit, ubi cunctis debita dimisit, destructisque omnibus inimicitijs, pacem hæctenus inauditam tam in tota Suevia

quàm in alijs sui regni provincijs regia censura per edictum confirmavit. Dein Agneten VVilhelmii Pictavenſis Principis filiam Reginam apud Mogontiam ungui faciens, regalibus ſibi nuptijs in Hingelenheim copulavit. Vnde infinitam hiſtrionum & jocularum multitudinem ſine cibo & muneribus vacuam & mœrentem abire permittit.

Luibboldus Marchio, Adalberti filius, maxima Vngariorum clades, immaturè obijt.

Pestis pecudum maxima.

Hiemps dura & nivola.

MXLV. Brun VVirziburg. Episcopus obijt v. 11 Kal. Iunij. Sedit annos xi. mensem i. dies xiv.

Heinricus Rex tertio Pannonias iratus ingrediens, Dei favente clementia, & beato Vdalrico Episcopo impetrante, victor factus, Ovonem cum uxore & filijs cognatisque, quibus locus evadendi erat, effugabat. Petrum in regnum reſtituit; ſubditòque ſibi Vngariorum regno, ſummo cum honore revertitur.

MXLVI. Heinricus Rex Italiam ingreſſus, paſſificè à Romanis ſuſcipitur. Papas tres non dignos conſtitutos ſynodaliter depoſuit, & Suiggerum Babenbergensem Episcopum Papam conſtituit. Ipſeque & conjux ejus Agnes Regina eadem die imperiali benedictione ſublimantur.

MXLVII. Petrus Rex Vngariorum à quodam tyranno Pannonico captus & cœcatus, ille qui eum expulerat regnare cœpit.

Suiggerus Papa obijt eodem quo conſtituitur anno. Pro quo Bobbo ordinatur.

Ottho Dux Suevorum obijt. Pro quo Ottho de Suvinvirtu ſurrexit.

MXLVIII. Bobbo Papa obijt anno quo conſtituitur. Pro quo Bruno, qui & Leo, Tullenſium antiftes, Papa ordinatur.

Heinricus

Heinricus Imperator nascitur.

M L. Bartho Mogontiacensis Episcopus obiit.
Pro quo Luippoldus ordinatur.

M L I I I. Leo Papa exercitum ducens per Apuliam contra Nortmannos, infinita utrobique cæde peracta, absque victoria regreditur xiv. Kal. Iulij, & eodem anno obiit.

M L I V. Leoni Papæ Gebehardus, qui & Victor, successit.

Adelbertus Marchio obiit.

Fames magna fuit.

VVelf Dux Carinthiorum obiit.

Quonradus Dux antea Noricus ab Imperatore expulsus, in Pannonia exul malè moritur.

Hezil Comes de Obereftenuelt obiit vi. Kal. Februarij.

M L V. Herimannus Coloniensis Episcopus obiit.
Pro quo Dominus Anno ordinatur.

M L V I. Magna cædes à barbaris qui Luttici dicuntur in Christianos facta est; quorum quidam gladio, quidam fugientes in aqua perierunt. inter quos VVileham Marchio occiditur.

Hisdem temporibus multi diversarum provinciarum Principes perierunt.

Fames multas provincias afflixit. Egestas & penuria undique prævaluit.

Multa mala tunc temporis facta sunt.

Heinricus Imperator his doloribus corde tenus compunctus infirmari cœpit; & perductus usque ad mortem, sapienti tamen usus consilio, ab omnibus quibus potuit veniam petens, quibusdam prædicia quæ abstulit restituens, cunctis qui contra eum culpas damnabiles fecerunt relaxans, filium suum Heinricum Romani Pontificis ceterorumque Pontificum & Principum electione Regem constituit. His & alijs, prout vitæ possibilitas admisit, bene dispo-

fris, III. Non. Octobris hanc vitam presentem
in Deo finivit.

Anno Domini MLVII. Henricus filius Henri-
ci Imperatoris admodum puer cœpit regnare.

Agnes Imperatrix, mater ipsius Henrici, Duce-
tum suscepit Bajoariæ.

Victor Papa, multis in Germania bene dispositis,
Romam redijt, & eodem anno vitam finivit. Pro
quo Fridericus, qui & Stephanus, frater Godesfri-
di Ducis, jam monachus in monte Cassino factus,
à Romanis Pontifex constituitur. Hic etiam eodem
anno obiit.

Item obierunt Adelbero Babenbergensis Episco-
pus & Ottho Dux de Suinvirtu.

MLIX. Luipoldus Mogontiacensis Archiepisco-
pus obiit. Pro quo Sigefridus constituitur.

Sanctus Cuono Trevitorum Episcopus martyri-
zatur. In deserto loco à scopuloso monte ter præ-
cipitatus est à Theoderico Comite, eò quòd absque
electione constitutus est. Et sepultus est Doleia ubi
per illum Dominus multa signa tunc temporis fecit.
Ipse Comes pœnitentiam agebat, Hierosolyma
pergens, vitam finivit. Omnes consentanei mala
morte perierunt. Pro quo Vdo constituitur.

MLXV. Guntherus Babenbergensis Episcopus
obiit. Pro quo Herimannus constituitur.

Gozuvinus Comes, ob exercitam in episcopo
Virziburgensi injuriam, à militibus Adelberonis
Episcopi occiditur.

MLXVI. Cometa videtur & Anglia à Nort-
mannis subicitur.

MLXX. Deti Marchio Regi Henrico rebellat.

MLXXI. Ottho Dux Regi Henrico rebellat.

MLXXII. Conjurant Principes regni contra Re-
gem Henricum.

MLXXIII. Saxones Hartesburg destrüunt; ubi

Regis filij sepulcrum violant, ossaque dispergunt.

MLXXIV. Alexandro Papæ Hiltibrandus succedit.

Arnoldus Abbas sancti Albani obiit. Pro quo Godescalcus constituitur.

MLXXV. Bellum juxta Vnstruohr committitur. Idus Iunij contra Heinricum Regem, ubi multi potentes ex utraque parte ceciderunt, & Saxones fugam inierunt.

MLXXVI. Concilium VVormatiæ congregatur, ubi Hiltibrandus Papa abdicatur.

MLXXVII. Dominus Anno Coloniensis Archiepiscopus obiit II. Nonas Decembris. Qui ex fundamento v. congreg. fecit, II. in Colonia, I. in honore sanctæ Mariæ, aliud in honore sancti Georgij martyris, & extra, I. in loco qui vocatur Gractahf, & in alio loco qui vocatur Salevelt, & unum in monte qui vocatur Sigeberg, in quo feliciter requiescit. Pro quo Hildolfus Episcopus ordinatur.

Agnès Imperatrix obiit. Ruodolfus Rex constitutus est in loco qui dicitur Vornheim, & in media quadagesima apud Magoniam unctus est in Regem à Sigefrido Archiepiscopo.

VVirziburg obsidetur. Hiemps magna & nivosa.

MLXXVIII. Bellum juxta Strovvi commissum.

Idus Augusti. Hildolfus Episcopus Coloniensis obiit. Pro quo Sigevvinus ordinatur.

MLXXIX. Bellum juxta Fladeheim commissum est v. Kal. Februarij.

MLXXX. Apud Brixinam Noricam xxx. Episcoporum magnæque partis optimatum regni convenit contra Hiltibrandum habetur.

Bellum juxta Elstrit committitur Idibus Octobris, in quo Ruodolfus Rex, qui & Dux, occiditur.

MLXXXI. Henricus Rex Romam obsedit.
 Monasterium Babenbergense in vigilia Pasche
 combustum est.

Bellum inter Luipoldum Marchionem & Cuo-
 radum fratrem Ducis Boëmiæ iv. Idus Mai.

Item bellum inter Suevos & Bajoarios juxta Da-
 nubium, loco qui vocatur Hohsterin, iv. Idus
 Augusti.

Monasterium sancti Martini Mogontiacensis exu-
 stum est, & tria monasteria propè posita, & penè
 omnis civitas exusta est.

Henricus Rex natus est junior filius.

MLXXXII. Herimannus regnum invadit.

MLXXXIII. Roma capta est à Henrico Rege,
 & pestilentia magna facta est.

Herimannus, qui regnum invaserat, orientalem
 Franciam hostiliter ingreditur.

MLXXXIV. Henricus Imperator de Italia re-
 vertitur, & Augusta ab eo obsidetur & capitur.

Herimannus Babenbergensis Episcopus obijt, qui
 ab episcopo expulsus est.

Obijt Sigefridus Archiepiscopus Mogontiacensis
 in Thuringia, & apud Hasungun sepelitur. Pro quo
 VVezelinus constituitur.

MLXXXV. Synodus Mogontiacensis apud san-
 ctum Albanum habetur.

Meginhardus VVirziburgensis Episcopus consti-
 tuitur.

Obierunt Gregorius Papa, qui & Hiltibrandus,
 Dietmarus VVormaciæ Episcopus, Herimannus
 Palatinus Comes.

Henricus Rex Saxoniam vastat.

Godescalcus Abbas deponitur. Cui Adelmannus
 successit.

MLXXXVI. Bellum juxta Bleihfelt committitur
 III. Idus Augusti.

Herimannus nomen regium deponit, & ipse mox perit.

Virziburg à Saxonibus capta est, & mox ab Imperatore acquisita est.

MLXXXV. Bertha Imperatrix obiit.

MLXXXVIII. Meginhardus junior Virziburgensis Episcopus obiit XII. Kal. Iulij. Sedit annos tres, dies xxvi.

Vezil Mogonciacensis Archiepiscopus obiit.

Buggo Halberstatensis Episcopus Gozlaræ occiditur.

MLXXXIX. Bellum juxta Glichocastellum in Thuringia juxta Erphesfurt situm inter Imperatorem & Eggibertum Marchionem in vigilia Domini, die dominica, in quo Burchardus Lotharæ Episcopus occisus est.

Obierunt Episcopi, Sigevvinus Colonienfis, Otho Radisponensis.

Constituuntur Episcopi, Ruothardus Mogontiacensis, Herimannus Colonienfis, Emehardus Virziburgensis VIII. Kal. Augusti.

MXC. Huozmannus Spirensis Episcopus obiit. Pro quo Iohannes constituitur.

Imperator Italiam petiit.

Herimannus Metensis Episcopus, Luidolfus Dux, & Bertholfus Dux filius Ruodolphi, obierunt.

Eggibertus Marchio occisus est.

Domnus Adelbero xx. post beatum Burchardum sacrosanctæ Virziburg. Ecclesiæ Episcopus XI. Kal. Iulij constitutus vixit in episcopatu annos xlv. menses III. dies VII. Obiit II. Nonas Octobris.

MXCI. Mahthilt de Longobardia Heinrico Regi rebellat.

MXCII. Pestilentia magna hominum & pecorum facta est.

MXCIII. Domnus Emehardus ordinatur VI. Kal. April. Indictione I.

Eclypsis solis facta est III. hora diei, & Draco visus est.

Fratisslaus Dux Boëmiæ in venatu repente de equo cadens subitanea morte discedit.

M X C I V. Pestilentia magna facta est.

M X C V. Ladizlaus Rex Pannoniæ, vir pie memoriæ, item Luipoldus Marchio, & Henricus Palatinus Comes, obierunt.

M X C V I. Hoc anno populus innumerabilis ex diversarum gentium partibus armatus Hierosolymam tendens Iudæos baptizari compulit, renuentes immensa cæde profligavit.

Apud Mogontiam Iudæi numero virorum ac mulierum & infantum mille & XIV. interfecti sunt. & maxima pars civitatis exusta est. Iudæi per diversas provincias Christiani facti sunt, & iterum à Christianitate recesserunt.

Adalmannus Abbas sancti Albani obiit.

M X C V I I. Imperator de Italia redijt.

Conradus patri suo Henrico rebellat. & ob hanc injuriam juniore filio suo regnum injungit.

Theodericus Abbas sancti Albani constituitur.

M X C V I I I. Conradus Comes Hohenburg Regi rebellat. idcirco expulsus est. Ruothardus Archiepiscopus Mogontiacensis gratiam Regis perdidit, & in Thuringiam secessit.

M X C I X. Imperator Pascha Radisponæ celebravit; ubi isdem diebus magna mortalitas facta est, in qua Rabbodo Palatinus Comes cum alijs innumerabilibus moritur.

Conradus Trajectensis Episcopus IV. feria Paschæ à negociatore Fresico crudeliter occiditur. Pro quo constituitur Burchardus.

Obierunt Episcopi, Vdalricus Eihcstatensis, Herimannus Colonensis Archiepiscopus. pro quo Fridericus constituitur.

Urbanus Papa, qui & Ottho, obiit.

Hierosolyma à Christianis capitur, Godefrido
Duce exercitum regente.

M. c. Hiemps dura, & fames magna.

Hottho Argentinæ sedis Episcopus obiit. Pro quo
Baldeuinus constituitur, qui vixit menses 11. &
moritur.

Vdo Marchio & alij plures Saxonum barbaros,
qui & Liuttici vocantur, invasit, & honorifice
triumphavit.

Clemens Papa, qui & VVigbertus, obiit.

Adela Marchia Romam pergens mortua est.

Godefridus Dux obiit apud Hierosolyman, qui
exercitum Christianorum regebat. Pro quo frater
ejus constituitur.

M. c. i. Imperator Natale Domini apud Mogon-
tiam celebravit, ubi multi Principes venerunt, &
consilium Imperatori fecerunt ut Romam mitteret
nuncios propter unitatem Ecclesiæ, & Papam con-
stituere secundum electionem Romanorum & om-
nium Ecclesiarum.

Comes Hiericus gratiam Imperatoris acquisivit,
& ipse Imperator marchiam Fresonum sibi tradidit.
Qui statim illuc pergens, cum uxore sua, ipse inter-
fectus est, & illa vix evasit.

